

sibi, tum pridie quam ederetur decretum, tum posthac sepius asseveravit, poteratque scribenti haec Vega superstes ad retractationem eum compellere, si quid falsi allegasset. His similia docent Melch. Canus L. 2. de Loc. Theol. C. 13., et Didac. Payva ab Andrada L. 4. Defens. Vulgatae : idem de Jac. Laynez refert in Proleg. C. 19. Serarius. 2º Theologi Concilio eidem coevi, nempe Sextus Scen. Lib. 8. Bibl. sanctae, Gilb. Genebrardus in praef. ad op. Origenis, Jodoc. Tiletanus in apol. Conc. Trid., Bellarm. L. 2. de Verb. Dei C. 41., et in singulare dissertatione de editione latina vulgata, nuper ex autographo typis hujatibus excusa. 3º Theologi Tridentino posteriores plurimi, quos inter celebriores sunt Simeon de Muis L. de auctorit. textus hebr., Joan. Mariana Tr. de Vulg. edit., Nicol. Serarius loco nuper laudato, Bonfrerius et Joan. de la Raye in Proleg., Nat. Alexander Sec. 4. Diss. 30., Benign. Bossuet. in tentamine unionis etc.

Conf. 1. Emendatio Bibliorum post Tridentinum etiam iterata Vulgatam neendum liberavit penitus ab omnibus mendis, sive eas Interpretis sive Librariorum dixeris. Fatetur enim id auctor Praefationis Bibliorum auctoritate Clementis VIII. editorum, dum scribit : *Quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis, hebreis grecisque fontibus, et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen per vulgata Lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, que mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt.* Idem confirmat BELLARMINUS correctionis Clementinae particeps in ep. ad Lucam Brugensem ita scribens : *Scias velim Biblia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata: multa enim de industria justis de causis pertransivimus, quae correctione indigere videbantur.* Idipsum apertius probat Index variorum membrorum ex annotationibus Lucæ Brugensis et aliarum a Nat. Alexander I. c. collectus et contra Frassenium vindicatus.

II. Ratio authenticæ immunitatem hujusmodi in Vulgata non exigit; tum quia nemo quasi non authenticam in judicio rejicit instrumenti translationem, ob leves atque ad substantiam minime pertinentes errores in ea forsan cubantes : tum quia vulgata versio in Concilii Tridentini et correctionem praecedentibus fidem fecit et publicam auctoritatem habuit, quantumlibet erroribus pluribus non carceret.

III. Tridentinum Vulgatam declarando authenticam nec voluit nec potuit praestare dictam immunitatem : *primum quidem*, quia Pontifici Legati ipsi testantur. « Tridenti quoque animadversa fuisse Vulgatae menda; se tamen noluisse idcirco illam universe pronuntiare mendosam : arbitratos et honorificentius et conducibilius esse, si reipsa remedium adhiberetur exemplo ad exequendum decretum mendis purgato in lucem edito, et a Pontifice ac Synodo comprobato; » ut Pallav. Hist. Conc. Trid. L. 6. C. 17. ex litteris eorum Romam missis enarrat : *Secundum vero, quia Concilia non solent divinare more Prophetarum, sed ex verbo Dei Scripto vel tradito, aut certe ex aliis principiis conclusiones suas, novis erroribus contrarias, derivare.* Cum vero TRIDENTINUM authenticam Vulgatae nec potuerit colligere, nec reipsa collegerit ex alio principio, quam longo Ecclesiae usu; hic autem usus nequeat probare Vulgatam ab omnibus omnino erroribus, etiam levioribus, immunem : sequitur Tridentinum non potuisse hanc immunitatem praestare; maxime cum et Patres plures, Hilar. nempe in Psal. 118., Mar. Victor

L. 2. cont. Arian.; Aug. ep. 19. ad Pauliu., Hier. in psalmis et alibi passim errores latini Interpretis in Vulgata nostra etiamnum toleratos notarint; ut Bellarm. in dissertatione memorata contendit.

31. Objic. Vulgatam esse absolute authenticam, colligitur ex TRIDENTINO. Prob. Concilium in decreto de edit. et usu sac. lib. declarat 1. eam authenticam, sine addito diminuente aut restringente, ut ex verbis (num. 28.) relatis patet : ergo. 2. Ibidem statuit, ut Vulgata in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus etc. pro authenticâ habeatur : ergo authenticam declarat secundum omnes partes, secundum quas potest et solet citari in illis publicis actionibus : sed in his secundum omnes omnino partes, etiam ad fidem et morum doctrinam non pertinentes, potest et solet citari : ergo. 3. Item prohibit, ne quis Vulgatam rejicere quovis pretextu audeat vel presumat : ergo vel Vulgata est absolute et quadam omnes partes authentica ; vel rejici potest legitime quadam eam partem, secundum quam non asseritur authenticâ. 4. Idem in decreto de canon. script. ait : *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non suscepit; anathema sit:* ergo Vulgata secundum omnes partes, et sic absolute, est authenticâ.

R. Ad Arg. N. Ass. Ad hujus prob. 1. D. Declarat vulgatam authenticam sine diminuente aut restringente expresse addito, C. sine tacite addito ac subintellecto, N. Modificationem nempe sat loquitur scopus, objectum et comparatio decreti, ut ostensum est. 2. D. Cons. Declarat authenticam secundum omnes partes, secundum quas in lectionibus, disputationibus etc. potest et solet citari pro confirmandis dogmatibus et informandis moribus, C. pro et in quacumque materia et arguento, ab his duobus objectis diverso, N. 3. N. utr. p. Cons. Neque enim ex eo, quod Vulgata nequeat aut universim aut secundum spectantia ad fidem et mores rejici, sequitur eam absolute et secundum omnes omnino partes esse immumem ab erratis et authenticam: neque ex eo, quod levia quedam errata adsint, authenticâ negari potest, aut respici audacter aliquid, aut privata auctoritate, nec expectatio Ecclesiae judicio, corrigi licet. Non prohibet tamen decretum hujusmodi, quominus licet, debita cum modestia et servata erga Vulgatam veneratione, usurpare nonnunquam in rebus minus principalibus interpretationem aliam, pro more scilicet ipsius Ecclesiae, quæ in Martyrologio Romano chronologiam 70 Interpretum adoptat, et in officio divino nonnunquam versione Itala uitur. 4. D. A. et hic canon agit de partibus Biblia Sacra integrantibus, nempe de libris, capitibus et versibus, C. de partibus sententias conflantibus, nempe de verbis aut voculis, N. Agit enim vero hic loci Concilium contra Haereticos, qui certas Scripture partes principales, ut libros Tobiae, Judith et Machabeorum, aut certa Estheris et Danielis capita, aut quosdam Matthæi et Joannis versus inter apocrypha rejecerant.

Inst. 1º PATRES et Praesides Concilii solas descriptorum, nullas interpretis mendas in Vulgata agnoverunt. Hinc 1. Patres non jusserrunt Vulgatam recognosci et emendari, sed tantum quam emendatissime imprimi. 2. Romanis Aulicis contrarium sententibus, et postulantibus in Decreto denuntiandum, de necessaria Vulgatae recognitione et emendatione, apud Pallav. L. 6. Hist. Trid. C. 17. responderunt primo aliam rem esse exemplarium depra-

vationem, aliam codicis in se ipso : secundo concesserunt quidem Vulgatam in aliquo loco videri ab Hebraica locutione discrepare, humilique serpere stilo, nec extra barbarismum aliquem aut solecismum; ceterum tanquam *tutissimam* laudant : tertio putarunt sufficere ad exequendum decretum, si reipsa remedium adhiberetur, exemplo mendis purgato, edito in lucem. Ergo.

R. Quoniam non de privata et personali, sed de manifestata et litterali sententia loquimur, N. A. et ad prob. N. Cons. Imprimis enim cum vulgata interpretatio probaretur, recognoscet et emendari non debuerat; ne aut nova aliqua editio cuderetur, aut antiquus Interpres corrigeretur: poterat tamen emendata impressio curari; cum hæc cura Amanuensium sphalnata, non item Interpretis lapsus attingeret. Deinde Aulicis Romanis errata Interpretis accusantibus, primo quidem recte opposuerunt Praesides Concilii discrimen inter depravationem exemplarium et codicis in seipso corruptionem, ad ostendendum nempe, errata omnia non profluxisse ab Interpretate: subjunctis tamen verbis: *utcumque se res haberet, declararunt, se non esse ausos, Interpretem ab omni culpa liberare. Fatentur præterea secundo Interpretem in nonnullis ab Hebraica locutione discrepare, ceterum versionem laudant tutissimam, sed inde duntaxat, quod tam diuturno tempore illi nunquam hæreos nota fuérit inusta;* quod idem est, ac authenticam tantum quoad fidei dogmata asserere. Denique tertio iisdem Romanis postulantibus mentionem fieri debere correctionis facienda, potius censuerunt, exemplum mendis purgatum in lucem edere; non quod vitia Amanuensium sola adessent, sed, ut Bellocastrensis in cœtu peculiari monuit, ne ansa præberetur hereticis cavillandi, perinde quasi dum reciperetur simul Vulgata et simul etiam declararentur ipsius exemplaria tanquam corrupta, liber idem comprobaretur eadem opera, simulque improbaretur, apud Pallav. L. 6. C. 15.

Inst. 2^o. Congregatio interpretum Tridentini, Clemens VIII. Bibliorum ad mentem Tridentini editorum auctor, et Historicus hujus Concilii adversantur. Prob. 1. Decretum ab ea Congregatione an. 1576. die 17. Jan. sic habet: *Congregatio generalis censuit, nihil posse asseverari, quod repugnet vulgatae editioni; etiamsi esset sola periodus, sola clausula, vel membrum, sive vox, sive dictio sola vel syllaba, iota unum.* 2. Prefatio in Bibliis jussu CLEMENTIS editis ita loquitur: *In hac editione nihil non canonicum, nihil adscititum, nihil extraneum apponere visum est.* 3. Pallav. L. 6. pluribus in Capitibus Vulgata docet absolute authenticam esse declaratam.

R. N. Ass. Ad ejus prob. 1^{am} R. 1. Hanc declarationem a Serario in Proleg. et Petrididier in Script. jure haberi suspectam et non authenticam; tum quia SIXTUS V. et CLEM. VIII. jubentes Biblia sacra recognosci, ipso facto illam repudiarunt: tum quia nunquam authentica forma fuit producta; quia ab auctoribus, qui eam referunt, desumpta est ex editione Marzillæ, cuius collectionem declarationum memoratae Congregationis ALEXANDER VII in Indicem librorum prohibitorum conjectit. R. 2. D. Congregatio prohibet asseverari vel unum iota, quod repugnet Vulgatae quoad doctrinam fidei et morum, C. quoad alia, subd. ne quis privata auctoritate id faciat, audacter et præsumptuose mutando impressionem, C. ne quis errata discutiat summoque Pontifici proponat, aut servata Vulgatae veneratione modeste expiat. N.

Ad 2^{am} R. 1. Præfatio Bibliis præfixa nec nomen CLEMENTIS, nec Sacri

Collegii, nec singularis Doctoris præfert, sed anonyma est; adeoque juxta Serarium non aliam, quam qualiscumque docti et pii prolocutoris, auctoritatem habet. R. 2. D. In hac editione nihil non canonicum, adscititum et extraneum esse appositum asseritur ad excludenda errata etiam leviora et mendas quascumque, N. ad excludendos libros, textus et versus apocryphos, notas item aliaque adjuncta, C. Hinc enim statim subjicitur: *Atque ea causa fuit, cur liber 3 et 4 Esdræ inscripti, quos inter Canonicos libros sacra Tridentina synodus non annumeravit, ipsa etiam Manassae oratio... extra Scriptura seriem posita sint, et nullæ ad marginem concordantiae..., nullæ note, nullæ variae lectiones, nullæ denique prefationes, nulla argumenta ad librorum initia conspiciantur:* quamvis hæc apponi, sed alio characteris genere, postea non prohibeat.

Ad 3^{am}. D. PALLAVICINUS ut Theologus admittit Vulgatam absolute authenticam, T. ut Historicus, N. Nullum enim ab eo monumentum allatum est, quo id probetur. Quin ipse L. 6. c. 17. n. 9. sic loquitur: « ostendam, quicumque impugnat arctiorem et absolutissimam conformatiōnē expōsitionis Vulgatae cum locutione divina, impugnari ab eo peculiarem Theologorum classem, non Ecclesiam Catholicam universam, in qua interdictum non est cum altera classe sentire, minus arcte decretum interpretante, utpote nixa ipsius verbis, quæ simpliciter authenticam illam versionem appellant, simulque præcipiunt, ne illa in concionibus, neve in prælectionibus aut in commentationibus rejiciatur. Quod sane statuit, ipsi errores non inesse ad fidem moresque pertinentes; ac præterea in eadem nec fraudem, nec aper tam discrepantiam, ne minimam quidem a divina scriptione, nec ullam secum ipsa repugnantiam contineri; in quibus illa si deficeret, nec authenticā esset, nec digna, quæ ab Ecclesia recipetur. » Subjungit postea num. 10. « Quod autem Vulgata translatio exemplari primævo per omnes leviores minutiasque particulas conformetur, nec ab illo declinaverit, vel in certa arbore, vel in certo animante, pro aliis alias exponendo, pia est aliquorum sententia; quam quidem qui respuat, non damnatur ab Ecclesia. »

Inst. 3^o. Si Vulgata non foret absolute authentica, evenirent multa absurdia. Sequeretur enim 1. eam nihil amplius habere, quam opera Divi Thomæ; cum illa etiam a variis Pontificib⁹ declararentur sine ullo in fide errore conscripta. 2. Eamdem non posse dici simpliciter authenticam; quia, ut sit authenticā copia, eam cum originali in omnibus convenire oportet. 3. Vel Ecclesiam, dum Vulgatam versionem quantumlibet mendis levibus aspersam, proponit ut authenticam, nos inducere in errores saltem innoxios: vel non omnia Vulgatae inserta debere credi, licet communis fidelium, imo et Theologorum, sensus sit pertinere ad fidem omnia in Scripturis sacris revelata et ab Ecclesia proposita. 4. Posse sine hæresi labe negari pleraque V. et N. Testamenti historiā, cum ad fidem illa non pertineant.

R. ad Arg. N. Ass. Ad ejus prob. 1^{am}. N. seq. Faciunt ipsi Pontifices distinctionem, cum Innoc. VI. de D. Thoma dicat: *Hujus doctrina præ ceteris, excepta Canonica, habet etc.;* suaque approbatione generali faciunt quidem prudentem credibilitatem, non autem fidei objectum: unde et transmissa D. Thomæ auctoritate, Doctores nonnunquam recedunt ab ejus sententia; præsertim quia de doctrina D. Bonaventure, qui tamen ab Angelico in multis discrepat, æque magnificum judicium in Bullis Pontificum legitur.

Ad 2^{am}. N. seq. Additam rationem D. ut copia sit authentica, debet convenire cum originali in omnibus, siquidem sit merum apographum et in eadem lingua transumptum, T. si sit translatum et aliud in idioma versur, subd. debet convenire in omnibus etiam minimis, N. in substantialibus, et pro indele versionis ac linguae, C. Quantumvis vero authentiae vocabulum alibi intelligatur arctius, et omnimodam conformitatem per se exigere, liberalior tamen ejusdem usuratio et in usu etiam est, et a Conc. Tridentino hic est adhibita, ut nuper ostendimus.

Ad 3^{am}. N. seq. primam; Cum Ecclesia declarat Vulgata duntaxat authenticam in his que ad fidem et mores pertinent, et facta etiam Bibliorum emendatione, innouerit consulto immutata esse relecta nonnulla, que mutanda videbantur; per hujusmodi declarationem fideles nec inducuntur in errores noxios, utpote quorum nullus in Vulgata est, nec in non noxios utpote quos authentia non attingit, et monitio data etiam excludit. secundam D. sequitur non omnia ad fidei et morum doctrinam spectantia debere credi, N. alia illa, de quibus (num. 27.) diximus, C.; sed Nego, haec aut esse revelata, aut ab Ecclesia tanquam authentica fuisse proposita.

Ad 4^{am}. N. seq.; tum quia historiae saepe sunt libri integri, aut insigniores partes Scripturae, que ex decreto Ecclesiae aperte pro canonicis habentur: tum quia in his plurima sunt, que spectant divinæ voluntatis pietatem et mores. Quin ne nomina etiam quedam locorum, urbium, fluminum, planitarum, aut similia negari facile aut temere possint, prohibet decreti periodus de non rejicienda Vulgata superius exposita.

Inst. 3^o. In Scriptura sacra, prout a Deo dictata, nec levissimus error admitti potest: ergo nec in translatione ejus authentica; præsertim cum, sicut providentiae Dei est servare ipsam Scripturam puram et integrum, sic erit et authenticam ejus versionem præstare immem.

R. N. Cons. Error, si quis in Scriptura prout a Spiritu sancto dictata foret, reduceretur in Spiritum sanctum, tanquam primarium auctorem; unde nullus hac ex parte admitti potest: error autem versioni insertus nec in Spiritum sanctum reducitur, cum translationis non sit aut dicatur auctor; nec in Ecclesiam, que licet versionem statuat authenticam, hanc tamen declarationem non extendit ad omnia, monetque nonnulla immutata esse relecta, que mutanda videbantur; adeoque errores hos non approbat, sed mere permittit. Atque haec eadem ratio est diversæ providentiae circa Scripturam autographam et ejus versionem; nam in apographis æque non repugnat inveniri errores, qui tribui debent ex scriptoribus, sicut in translatione librariis vel interpreti.

Inst. 5^o. S. HIERON. Scripturam aut interpretando aut interpretationem emendando non magis dici potest errasse in levissimis, quam nunquam errasse in magnis, ad fidem et mores pertinentibus; cum dotes et adjuvamenta, que præstabant immunitatem posteriorem, aut priorem etiam, aut neutram præstisset dicenda sunt.

R. Quantæcumque S. HIERONYM dotes neutram quidem immunitatem certo, et utramque probabilitatem tantum præstabant: probabilius tamen id fecerunt in substantialibus, ad fidei scilicet et morum doctrinam pertinentibus, cum pro rei gravitate acutatur etiam industria, in levioribus faciliter dormitatio quedam obrepatur. Quantumvis vero facultas pro utraque in Vulgata auctore

adfuerit; voluntatem tamen omnia ad litteram vertendi nonnunquam defuisse, et assuetudini hominum aliquisque causis aliquid esse tributum, et quedam mutanda permansisse immutata, compertum habemus.

32. Observa I. Cum in decreto TRID. hactenus examinato Vulgata solum cum aliis latinis editionibus comparata declaretur authentica; aperte colligitur, per hanc declarationem nihil derogari authentiae, quam Grecois Hebraisque fontibus præter Protestantes multi Catholici, et versioni 70 Interpretum contra priores plerique postremi tribuunt. Quare hodiernis etiam horum exemplarum editionibus auctoritatis possessio facile a nobis permittitur, quam certam iis adfuisse (num. 11. et 16.) innuimus, et *Scriptura polemice explicata* pluribus vindicavit. Hanc tamen authentiam imprimis esse duntaxat respectivam, et ultra errores in fidei morumque materia non excludere leviores quascumque mendas, fatentur eruditii plerique omnes, probant lectiones variantes plurimæ, testantur litteræ Tridenti an. 1546. die 24. et 26. Apr. Romam datæ, quibus Praesides Concilii emendationem etiam Hebraicæ et Greæca editionis desiderarunt: deinde eamdem implicatam tantum et vulgarem esse, non autem judiciale et explicitam, patet ex defectu facti, quo legitimus magistratus de illis aliquid publice edixerit.

33. II. Nec juvat dicere, declarationem hujusmodi haud necessariam esse exemplaribus Hebraicis et Grecois olim jam probatis: tum quia non constat de antiquissimorum etiam exemplarium probatione et sinceritate; tum quia, etsi constaret, illa a solo usu habetur, adeoque tacitum tantum magistratus legitimi consensum supponit: nec pro versione 70 Interpretum provocare licet ad decretum SIXTI V. Romanæ editioni an. 1586 præfixum, quia id quidem editionem hanc jubet *ab omnibus recipi et retineri ut utilem ad latine vulgatae editionis et Patrum intelligentiam*, non autem ut authenticam. Nisi itaque occurrente editionum discordia error argumentis certis tribui debeat Vulgate, hujus lectionem et sensum tueri omnino oportet; utpote quæ et antiquitate, qua punctuationem Hebrei codicis precedit, et judiciali Ecclesiae auctoritate, qua solitarie gaudet, majorem fidem mereatur, quam aut ars critica aut hominis privati eruditio conciliare queat.

ARTICULUS V.

An et quo interprete indigeat Scriptura?

34. Nota. Scripturam sacram esse fidei regulam, tum ex probata ejus existentia ac divinitate sponte sua sequitur, tum Catholicos inter et Novatores convenit. Hæc porro regula quia rationalis est, non aliter quam per cognitionem seu intelligentiam humano intellectui applicari potest; et quia est fidei divinæ, intelligentia hujusmodi dubia aut falsa esse nequit: adeoque vel ipsa Scriptura sacra clare et perspicue proponere debet credenda; vel interpres requiritur ab errore et fallacia immunis, qui in proponendis obscuritatem dissipet, dubiumque dissolvat.

Hic vero discrepant a Catholicis Novatores; et 4^o quidem aliqui Scripturam sacram universim clarissimam et maxime perspicuum affirmant: alii